

*Aër h'eat
Calore Solis.*

separaret, à creaturis omnia subsistentia sol combureret. DEVS autem aërem separantem constituit, ne combureret quod in terra creavit. Nonne videris solem ascendentem, in cælum aërem vincere suo calore quo calefacto ad aëris supposita calor pervenit. Et si spiritibus quibus creaturæ generantur, tunc aër non inspiraret omnia subsistentia, sol suo calore destrueret, cui & aër continetur, & ideo superat aër, quod eius calor suo calore eiusque humiditas aquæ iungitur humiditati. Nonne videris, tenuem aquam in aërem ascendere, calore solis eveniente, qui aquam contra se ipsum adiuvat. Et si tenui humore aëra aqua non nutriret, sol utique aëra superaret, ignis ergò ex aqua, extrahit humorem quo aer ipsum ignem superat. Ignis igitur & aqua, sunt inimici inter quos nulla est consanguinitas, eò quod ignis est calidus & siccus, Aqua verò frigida, & humida. Aer quoque cum sit calidus, & humidus, inter eos coniunxit concordiam suam, cum aquæ humiditate, & cum ignis caliditate, & factus est aer inter eos concordiam generans. Et omnes inspicite quoniam spiritus extenui aeris vapore fuerit eò quod calore humori iuncto tenuem quod exire, quod ventus fiet necessè est, solis enim calor ex aere tenue quid extrahit quod & spiritus, & vita fit omnibus creaturis. Omne autem hoc à DEI est dispositione sic & coruscatio calore solis nubi eveniente, & nubem confringente coruscatio apparet. *Ait Turba*, benè descripsisti ignem prout scis, & sermoni fratris tui: credidisti.

Sermo Secundus.

*Aër à sole
alteratur.*

EXUMDRUS ait: magnifico aera, & honorifico, ut Iximidri roborem sermonem; eò quod ipso opus emendatur, & spissatur, & rarefcit & concalescit, & frigescit. Eius autem spissitudo fit quando in cælo disiungitur propter solis elongationem. Eius autem raritas fit, quando in cælo exaltato sole calefcit aer, & rarefcit. Similiter vero fit veris complexionem, in temporis nec calidi nec frigidi distinctione. Nam secundum alterationem dispositionis constituti, ad distinctiones animi alterandas, Hyems alteratur. Aer igitur spissatur cum ab eo sol prolongatur, & tunc hominibus frigus pervenit. Aere verò rarefciente calor pervenit hominibus.

Inquit Turba optimè aera descripsisti, & quod in eo scis esse narravisti.

Sermo